

fuo sex millia loricarum, exceptis balistariis & (a) innumera militia Prælatorum & Principum. Dominica igitur die, ut dictum est, post festum Michaelis cum processio fieret ad atrium beati Petri, facta est *pressura nimia* advenientium, & occurfantium ad gradus Monasterii beati Petri, & omnis via negabatur processioni; sed *larga manus Regis cum maxima copia spargebat argenteos*, & tandem vix obtinetur ascensus. Nec defuerunt ministri cum lanceis & fustibus reprimere tumultus. Sicque in Dominica (b) *Da pacem Domine*, Dominus Imperator cum magna pace & tranquillitate & iucunditate *consecratur & coronatur*, omnibus magnificè lætantibus & cantantibus, *Fiat pax in virtute tua*. Et quia ipse summo studio semper paci studebat, speramus, ipsum officium pacis, & unitatis Ecclesiæ Dei, quæ diu concussa fuit, à Deo obtinere solatium. Finito officio Dominus Papa Imperatorem novum devotè vocat ² *ad convivium*: quem Dominus Imperator precibus instantissimis obtinet venire secum. Cum igitur ventum fuisset ad equos, Imperator non immemor Apostolicæ reverentiæ, quæ exhibenda est ipsorum vicario fideli & reverendo Papæ Innocentio, strepam ipsius devotè apprehendit. Sicque ad locum convivii venit, ubi de Imperatoris magnificentia simul in unum dives & pauper largè procuratur (c). Nec prætereundum, quod *Waldemarus, Bremensis electus*, pauper & exsul per intercessores, quos obtinere potuit, vel per se ipsum limina Apo- ³ stolicæ pietatis, quæ claudit nemo aperit, aperit & nemo claudit, & septuagies septies errata dimittere consuevit, omni sollicitudine & devotione pulsare non cassavit, omnem reatum inobediendiæ pœnitens cum omni satisfactione emendare promittens. Verum quia idem casus multipliciter erat perplexus, nihil super his fuit determinatum, nisi *ut in Pontificalibus celebraret*, non tamen in Bremensi ecclesia.

CAPUT XXII.

Auctor rationem sui in conscribendo hoc libro consilii exponit.

Satisfactio Scriptoris.

VEniam legentium peto, ne quis præsumptionis vel temeritatis arguere me velit, quia ista dictaverim, sciens quod multi (a) gesta Regum, vel Pontificum scripserunt; sed, sicut ab initio dictum est, non temeritate, sed caritate ista prosequutus sum, volens continuare hoc dictamen operi. Helmoldi sacerdotis, qui de statu terræ nostræ, & de regibus sive Principibus multa præmiserat: præcipuè verò de vocatione & subactione Slavorum, quæ per nobilem *Ducem Henricum* facta est, memoriæ fidelium intendo perennare. Neque enim ista oblivioni tradenda puto, cum omnes oculata fide perspiciant gloriam ecclesiarum, devotionem fidelium, & fidei & religionis incrementum in his borealibus regionibus, ubi sedes erat sathanæ, nunc verò flatus austri, videlicet Spiritus sancti gratia, quæ fugato Aquilone, perfatis hortis fidelium, innumera virtutum fluere facit aromata. Nec offendant quæquam, si secundum ordinem historiæ modò læta sive prospera vel etiam ponam adversa: quia ista oportuit in notitiam venire, & illa non omittere. Deus enim quandoque ad salutem suorum fidelium, quibus omnia cooperantur in bonum, nunc promittit prospera, nunc flagella. Si verò aliquid occurrerit, non ex toto suo ordine prosequutum, ipsum deputet assertori, non dictatori. Hoc ipsum tamen emendationi fidelium devotus relinquo, multum gaudens, quod de bono principio lætum finem teneo, pro quo sit laus & gloria Christo. Amen.



XLVI.

LOCA IN HERMANNI CORNERI CHRONICO
INEDITO EX HELMOLDO VEL ARNOLDO CITATA, QUÆ TAMEN
APVD EOSDEM, QVALES EXTANT, VEL PLANE NON VEL
ALITER LEGVNTVR.



Varto decimo anno *Ludovici*, qui est Domini DCCCLXXI. Sanctus *Ansbarius* Archiepiscopus Hammeburgensis obiit in Domino, plenus virtutibus, secundum *Helmoldum* in *Chronico Slavorum*. Huic sancto viro successit in eadem sede *Reimbertus* Sanctus, Archiepiscopus Hammeburgensis, vir totius prudentiæ & sanctitatis, & sedit annis XVI, recepitque pallium ab *Adriano* Papa.

(a) Et caterva illa honorabili Episcoporum, Principum & Prælatorum. (b) qua cantatur. (c) Hujus autem Ottonis Pater Saxo Henricus Leo pro crimine læsæ majestatis ab Imperatore Frederico convictus, & universonum Principum imperii judicio condemnatus, à suis Ducatibus extitit projectus. Kornerus.

(a) facta. Lindenbrog.

Papa. Hujus Reimberti tempore contigit hoc miraculum, quod cives de *Norda*, oppido Frisix, ad instinctum Sancti Reimberti, contra Danos, qui tunc oneri fuerunt nationibus univervis, pugnaverunt, & caesis ex eis MCCCXLVIII. plures ex eis captivos duxerunt. Unde apud Frifones nomen praedicti Sancti celebre habetur & memorabile usque in hodiernum diem. Migravit ab hoc seculo anno Domini DCCCLXXXVIII. Post hunc electus est *Adelgaricus* tertius Hammeburgensis Archiepiscopus, & sedit XX. annis. Fuit autem monachus Corbeyensis, sicut & *Anscharius* & *Reimbertus* praedecessores sui, & accepit pallium a *Stephano* Papa. Cuius tempore *Hermannus* Archiepiscopus Colonienfis rehabere laboravit ecclesiam Bremensem. Quare collecta est synodus apud *Triburnum*, praesidente *Haddone* Archiepiscopo Moguntino, & cassata sunt privilegia ecclesiae Hammeburgensis de incorporatione ecclesiae *Bremensis* eidem metropoli, consentiente *Formoso* Papa & *Arnulfo* Rege Romanorum. Quod tum postea divina iustitia vindicare non obmisit, quod tam Papa quam Imperator mala morte perierunt. Nam *Formosus* a suo successore fuit degradatus & de sepulcro eiectus: *Arnulfus* vero vivens a vermibus primo consumtus est, & tandem veneno extinctus. Unde *Bremensis* Episcopatus iterum suffraganeus factus est ecclesiae Colonienfis, omnibus diebus *Adalgarii* & *Hogeri* Archiepiscoporum Hammeburgensium. Post *Adalgarium* sedit in eadem ecclesia Hammeburgensi *Hogerus* quartus Archiepiscopus VII. annis. Cujus temporibus parochia *Hammeburgensis* a Slavibus, & *Bremensis* ecclesia ab Ungaris demolita sunt & desolata. Post hunc *Hogerus* factus est Archiepiscopus Hammeburgensis *Reinwardus*, & sedit vix anno uno. Cujus etiam diebus *Ungari* incenderunt ecclesias & altaria Bremis, & trucidaverunt sacerdotes. Detruncaverunt etiam cruces pagani illi in contumeliam crucifixi, & multi Christiani fuerunt decapitati. Quod tamen Deus ita vindicavit, ut ipsi barbari diversis plagis attriti, nec unus quidem illaesus evaderet. Post hujus Antistitis decessum *Unni* electus sedit annis XVIII. Cum enim *Reinwardus* defunctus esset, *Leydradum* *Bremensis* ecclesiae Praepositum, a Clero & populo electum, deprecari sunt canonici, ut *Unni* Capellanum suum ad curiam mitteret. Quod cum fieret, Rex *Conradus*, divino, ut creditur, afflatus Spiritu, contempta *Leydradi* electione, parvulo *Unni*, quem retro conspexerat stare, virgam obtulit pastorem. Cui etiam Papa *Iohannes X.* ut privilegium ostendit, dedit pallium. De quo legitur, quod in suis diebus *Ungari* nedum *Saxoniam*, aliasque circa *Rhenum* provincias, verum etiam trans *Rhenum* *Lotharingiam* & *Franciam* demoliti sunt. *Dani* quoque Slavos auxilio habentes, primo *Transalbanos* *Saxones*, deinde *Albinos* devastantes, magno furore *Saxoniam* quassabant. Hic autem *Unni* magni Praedicatoris *Anscharii* vestigia secutus, *mare Balticum* navigans venit in *Bircam*, quo nemo post *Anscharium* doctor ausus est pertingere. Est autem *Birca* oppidum Gothorum, in medio *Sweorum* & *Scytharum* positum, ubi tandem Sanctus Archiepiscopus decedens sepultus est: cujus caput *Bremam* translatum est anno Domini DCCCCXXXVI. Post quem sedit in eadem ecclesia Hammeburgensi *Adaldagus*, annis LVII, & fuerat Cancellarius *Otonis Magni* Imperatoris. Iste rem publicam restauravit, genere nobilis, aetate juvenis, specie decorus, sed virtutibus speciosior. Hic ab *Otone Magno* baculum pastorem suscepit, & pallium a *Leone VII.* Papa sumfit: manus vero impositionem sicut omnes praedecessores sui a *Moguntino Praesule*. Nondum autem Hammeburgensis ecclesia suffraganeos habuit, quos hujus *Adaldagi* studio suscepit. Ipse enim primo, ut ingressus est pontificatum, *Bremam*, prius longo tempore potestatibus ac judiciaria manu oppressam, praeepto Regis absolvi, & instar aliarum urbium immunitate simulque libertate fecit dotari. Habuit itaque tam singularem gratiam in conspectu Imperatoris *Otonis*, ut a latere ejus raro divelleretur. Eo namque tempore *Otto* Imperator invasit *Daciam*, & de ea perfecit omnem suam voluntatem. Unde *Dacia marina*, quam *Juciam* sive *Jutlandiam* vocant, in tres episcopatus divisa, Hammeburgensi Archiepiscopatu est subiecta, ut docent *statuta imperialia*, quae usque hodie in eadem ecclesia habentur. Iste inquam Archiepiscopus usque in *Italiam* cum Imperatore abiit; & postquam ibidem secum aliquandiu moram traxisset, rediens ad partes, in comitatu suo *Benedictum* Papam ordinatum & consecratum, sed ab *Otone* depulsum, quem ille in Hammeburg exilio damnaverat, secum duxit, & magno cum honore usque ad obitum tractavit. Nam vir sanctus litteratusque fuisse dicitur, qui & Apostolica dignitate dignus videbatur, nisi quod per tumultum electus est, expulso eo, quem ordinari praeeperat Imperator. In urbe ergo Hammeburg in sancta conversatione vivens, aliosque sancte vivere docens, dum jam Romanis postcentibus ab Imperatore restitui debuisset, in urbe praedicta in pace quievit. Post hunc *Adaldagum* venit *Libenius* & sedit annis V. Hic pallium a *Iohanne XVI.* Papa suscepit & virgam episcopalem meruit ab *Otone tertio* recipere. Hic primus inter omnes praedecessores suos consecratus est a suffraganeis. Eratque vir litteratissimus & omni morum probitate decorus. Cujus tempore *Brema* coepta muro muniri. Migravit autem praedictus Praesul ab hac luce anno Domini MXIII. & sepultus est in Hammeburg. Post hunc sedit *Unwanus* annis XVI. regulam autem accepit ab *Henrico* Imperatore & pallium a Papa *Benedicto*. De ecclesia autem *Padelburnensi* assumtus est, dives & largus, ac omni populo acceptus. Iste in plerisque pascha

& aliis festiuitatibus septem episcopos secum habuit, & multos labores ac expensas pro defensione Bremensis ecclesie fecit, magnoque favore ecclesiam matricem Hammeburgensem fovit. In diebus ejus *Kanutus* Rex Danorum, rediens de *Anglia* cum victoria, multos secum deduxit episcopos: quorum unum nomine *Burchardum* fecit episcopum *Schania*, *Gerbrandum* *Selandia* & *Reynerum* *Funa* episcopos instituit. II postea per procuracionem Archiepiscopi subiecti sunt ecclesie Hammeburgensi. Obiit autem hic *Ulovanus* anno Domini MXXXIX. & sepultus est in Hammeburg. Post hunc venit *Secundus Libentius* & sedit annis IV. Iste cum esset nepos *Libentii* primi Archiepiscopi, favore *Gysla* Imperatricis ferulam suscepit a *Conrado* Imperatore: pallium vero a *Iohanne XIX. Papa*. Hic erat vir simplex & rectus, ac timens Deum; prius existens Præpositus ejusdem ecclesie. Legationem vero suam ad gentes ferventi animo aggressus, piis operibus semper intentus fuit, & filios ecclesie prænaturaliter educans, & quod est difficile, Principibus acceptus exitit. Obdormivit autem *Libentius* iste anno Domini MXXXII. Post hunc venit in sedem *Hermannus* & sedit tribus annis. Virgam pastorem accepit a *Conrado* Rege Romanorum & pallium a *Benedicto* Papa promeruit. Assumptus autem fuit ab ecclesia *Halberstadensi*, cujus Præpositus extiterat; vitæ meræ simplicitatis & parum habens prudentiæ serpentina: & ideo de facili deceptus a clientibus, raro parochiam suam visitavit. Semel namque Hammeburg accessit, & tunc cum exercitu veniens, Episcopatum quasi non suum spoliavit; abiensque velut terram fallaginis ipsam dereliquit & rapacitatis quidem intentor existens, cuidam *Mackoni* tanquam Vicodmino ecclesiam suam commisit: qui parvi pendens omnia, quæ in Archiepiscopatu invenit, quendam *Gwidonem* musicum *Bremam* adduxit, cujus industria melodiam & claustralem disciplinam emendavit. Defunctus est autem hic *Hermannus* in Episcopatu *Halberstadensi*, dum esset in prædio suo *Hiltenroth*, sed corpus ejus *Bremam* delatum est & humatum ibidem. Post hunc venit in sedem eandem *Beselinus* & præfuit X annis. Hunc virum omni virtute decoratum præfecit ecclesie Hammeburgensi Archiepiscopus *Coloniensis*, cui *Conradus* Rex obtulit baculum & *Benedictus* Papa pallium. Ordinatus est autem a suis suffraganeis & ab aliis VII. episcopis Saxonie in ecclesia sua Hammeburg. Hic pater patriæ fuit, decus Cleri, salus populi, terror malorum Principum, exemplar benevolorum & pastor egregius ovium suarum. Claustrum namque ipse renovavit & *Canonicis* ipse primus mensam communem instituit. Ipse quoque muros ecclesie Bremensis & civitatis consummavit, quos *Hermannus* prædecessor suus exorsus fuit. Voluisset etiam Hammeburgensem urbem circumdedisse muro, si diutius vixisset. Mortuus est autem anno Domini MXLIV. Post quem *Beselinum* sive alio nomine *Alebrandum* surrexit *Adalbertus* & sedit annis XXX. Hic baculum pastorem accepit ab *Henrico* filio *Conradi* Imperatoris, pallium vero a *Benedicto* Papa. Ordinatio autem ejus facta fuit *Aquisgrani*, Cæsare præsentem & Principibus, ac duodecim episcopis manus impponentibus. De ecclesia autem *Halberstadensi* similiter & ipse assumptus est, ubi Præpositus ecclesie extiterat, sicut & *Hermannus*. Genere etiam erat nobilis, eloquens, sapiens & castus. In legatione vero gentium & primum & præcipuum Hammeburgensis ecclesie officium fuit. Nemo unquam tam fervens fuit sicut ipse. Magnæ compassionis viscera gessit super incolatu Hammeburgensis & Bremensis ecclesiarum & calumnia; quarum altera vastata fuit ab *Ungaris*, & altera a *Danis* & *Slavis*. Hic Imperatoris consiliarius existens, cum eo *Romam* perrexit; ubi tandem depositis *Benedicto*, *Gratiano* & *Silvestro*, qui pro papatu contendebant, *Adalbertus* Archiepiscopus Hammeburgensis in Papam electus fuisset, nisi pro se collegam posuisset *Clementem*. Hic *Clemens* renovavit omnia privilegia, ecclesie Hammeburgensis dudum a Romana sede concessa. *Adalbertus* fecit duas præposituras, unam sancto *Wilhardo*, ubi corpus ejus requiescit, aliam sancto *Stephano*, cujus famulum se esse semper gloriabatur. Tertiam similiter fecit Bremis *Sancto Paulo* & quartam trans *Albiam* in *Sullenberg*. Ejus tempore viguit adhuc *Danorum* regnum in magna gloria, cujus Regi *Haroldo* Papa scripsit in hac forma: *Alexander* Episcopus, servus servorum Dei, *Haroldo* Nordmannorum Regi salutem & apostolicam benedictionem. Quia adhuc rudis in fide existis & in ecclesiastica disciplina quodammodo claudicatis: oportet nos, cui totius ecclesie Dei regimen commissum est, divinis admonitionibus vos frequenter visitare. Sed quia ob longarum difficultatem viarum per nos hoc agere minime valemus, sciatis, nos *Adalberto* Hammeburgensi Archiepiscopo, vicario nostro hæc omnia firmiter commisisse. Prædictus itaque venerabilis Archiepiscopus legatus noster, suis nobis conquestus est epistolis, quod episcopi vestre provincie, aut non sunt consecrati, aut data pecunia, contra Romana privilegia, quæ suæ ecclesie sibi sunt data, in *Anglia* vel in *Gallia* pessime sunt ordinati. Unde ex auctoritate Apostolorum *Petri* & *Pauli* vos admonemus, ut sicut apostolicæ sedi reverentiam subjectionis debetis exhibere, ita præfato venerabili Archiepiscopo, vicario nostro ac vice nostra fungenti, vos vestrique Episcopi subjectionis reverentiam impendatis.

Anno 872. *Hastings* Dux *Lalandia* Regi Danorum, secundum *Chronicam Slavorum*, cum eis, qui ab *Anglia* discesserant. Christianitatemque profiteri renuerant, cum Rege eorum *Paria*

B b b b

fius

suas applicans & Thuronis; illas urbes pariter & ceteras, quæ super *Sequanam* fluvium sitæ sunt, civibus suis evacuantes, usque ad Tyrrenum mare grassatus.

Anno 934. *Unni* sanctus *Hammeburgensis* Archiepiscopus, secundum *Helmoldum* in *Chronica Slavorum*, cum totam Danorum, Sweorum, Gothorum & Norweorum plagam quasi convertisset, ad fidem Christi, peracto legationis suæ ministerio, ad partes suas redire disposuit. Sed Deo aliter de suo fine ordinante, apud *Bircam* oppidum Gothorum celeberrimum, ægritudine gravi correptus, sarcinam sui corporis deposuit. Cui in cathedra successit venerabilis *Adalagus* Cancellarius *Otonis Ducis Saxonie*, & præfuit in sede prædicta LVII. annis.

Anno 963. Defuncto *Sweyn* Rege Danorum, secundum *Helmoldum*, successit ei *Haroldus* filius ejus. Hujus tempore Dani Christum simul & idola colebant. Uno autem tempore *Poppo* Clericus, in convivio cum Danis sedens, disputavit cum eis de cultura Christi & Deorum; & Danis asserentibus, Christum quidem Deum esse, sed Deos eorum majores & antiquiores eo esse: ipse vero affirmante, Christum solum esse Deum verum, & Deos alios nisi dæmones esse, & a Christo creatos; dixit *Haroldus Rex Popponi*, ut fidem à se propositam probaret veritatis testimonio. Quo annuente, ferrum ignitissimum ingentis ponderis manibus suis ferendum imponitur. Quod cum Clericus ad placitum omnium sine læsione quacunque tulisset, Rex abjecta omni hæsitacione cum omnibus suis Christum solum verum Deum confessus est: Clericum vero illum ad episcopatum solemnem provexit.

Ad annum 972. *Hermannus Dux*, secundum *Helmoldum*, dicitur fundasse monasterium in honorem Sancti Michaelis in castro montis *Luneburgensis*, & bonis magnis ipsum dotasse; quamvis quidam fundacionem ejus attribuant *Swiperto Episcopo primo Verdensi*, & quidam aliis Principibus. *Benno* vero, filius *Hermanni Ducis*, quod pater suus incompletum reliquerat, ipse perfecit, & quendam religiosum virum *Ludericum* nomine de monasterio *Sancti Pantaleonis* illi monasterio in Abbatem primum præfecit. Hic *Hermannus Dux* genuit Duces *Bennonem*, qui & *Bernhardus* dictus est & *Ludgerum*. *Benno* vero Dux genuit Duces *Bernhardum* & *Tidemarum*. *Bernhardus Dux* genuit *Ortholfum* & *Hermannus*: *Ortholfus* genuit Duces *Otonem* & *Magnum*. *Magnus* autem Dux sine hærede masculino decessit, relinquens duas filias, quarum una, *Eyleke* nomine, nupsit *Otoni Comiti de Solwedele*; quæ genuit ei *Albertum Marchionem de Brandenburg*, cognomento *Ursus*, & ita in illo Duce *Magno* profapia Ducis *Hermanni filii Wylingi* finiebatur. Altera vero filia, *Wilfildis* nomine, vel secundum alios, *Mechzildis* nupsit *Welpæ* Duci *Bavariae*, qui Dux *Welpæ* ex *Henrico* fratre *Otonis Imperatoris* fuit procreatus: & dicta *Wilfildis* genuit eidem Duci *Welpæ* *Henricum Leonem*. Hic *Henricus Leo Dux* & *Albertus* marchio *Ursus*, prædictarum sororum filii, pro prælibato Ducatu *Saxonie* & *Westphalie* contenderunt: sed *Henricus Leo* Ducatum obtinuit. Postquam autem *Otto Magnus* Imperator *Ludolfum* filium suum & *Henricum* fratrem suum Ducatu *Saxonie* & *Westphalie*, propter eorum rebellionem, privaverat, & *Hermannus filio Wylingi* rustici contulerat: hi duo, puta filius ejus & frater ejus, gratiam Imperatoris affectabant; quos in gratiam recipiens, dedit filio suo *Ludolfo* Ducatum *Sveviae*, & *Henrico* fratri suo Ducatum *Bavariae*, pro tunc vacantes. Sed filius ejus *Ludolfus* statim post donationem sine hærede decessit, & sic Dux *Henricus* frater *Otonis Imperatoris* Ducatum *Sveviae*, cum Ducatu *Bavariae* obtinuit; à quo Duce *Henrico* Imperatores & Reges infra scripti sunt procreati: puta *Henricus* secundus, *Conradus* secundus, filius *Henrici* secundi, *Henricus* tertius, *Conradi* secundi filius, *Henricus* quartus *Henrici* tertii filius, *Henricus* quintus *Henrici* quarti filius: *Conradus* tertius *Henrici* quarti nepos, *Fridericus* primus *Conradi* tertii fratris filius, *Henricus* sextus, *Friderici* primi filius, *Fridericus* secundus, *Henrici* sexti filius, *Conradus* quartus & *Henricus* septimus, *Friderici* secundi filii: ac ipsorum Imperatorum & Regum filii & fratres Duces *Bavariae*, *Sveviae*, *Austriae*, *Saxonie*, *Ungariae* & *Westphalie*, & quamplures alii Marchiones, Landgravii & Comites illastres, nec non Cardinales, Archiepiscopi & Episcopi per mundum dispersi, in diversis provinciis & regionibus, de quibus singulis tædium esset scribere.

Anno 984. *Slavi* contra *Saxones* bella moventes, secundum *Helmoldum*, primo *Brandenburg* & postea *Havelberg* obsiderunt, & tandem oppida illa expugnantes, ea destruxerunt cum multis ecclesiis suis.

Anno 989. *Adalagus* Archiepiscopus *Hamburgensis* obiit, plenus virtutibus, secundum *Helmoldum*. Cui in sedem successit *Libentius*, vir sanctitatis eximie, & præfuit V. annis.

Undecimo anno *Otonis*, qui est Domini DCCCXCIV. *Libentius* Archiepiscopus *Hammeburgensis* obiit in Domino, secundum *Helmoldum*. Cui successit in sedem *Unwanus* clarissimo genere ortus, largus & ab omnibus dilectus, & sedit in ecclesia illa XVI. annis, fructuose & utiliter valde.

Anno 1010. *Unwanus* Archiepiscopus *Hammeburgensis* migrat ad Dominum, bonis operibus onustus, secundum *Helmoldum*. Post quem electus est *Libentius Secundus*, & vixit in Episcopatu annis XVII. Iste cum esset nepos *Libentii I.* Archiepiscopi; ejusdem ecclesie, favore Imperatricis, ferulam suscepit a Rege *Henrico*: pallium vero a Papa *Benedicto*.

Anno

Anno 1017. *Ezione* Episcopo Aldenburgenſi defuncto, ſucceſſit ei *Volkquardus*, ſecundum *Helmoldum*, in ſedem. Hic perſecutionis tempore à Slavis pulſus, abiit in *Norvegiam*, ubi multos Domino lucratus eſt, & cum gaudio reverſus eſt in ſedem ſuam.

Decimo ſeptimo anno *Henrici*, qui eſt Domini MXIX. maxima perturbatio toti Saxonia accidit, ſecundum *Helmoldum*. Nam *Bernhardus* filius *Bennonis*, Ducis Saxoniae, *Henrico* Imperatori rebellare coepit. Unde Slavi ſumta occasione a fide apoſtataverunt, qui jam quaſi LXX. annis & amplius in fide perſtiterant à tempore *Otonis I.* Cujus male cauſa talis fertur fuiſſe. *Mestwinus* namque Princeps Slavorum filiam *Bernhardi* Ducis Saxoniae deſponſaverat, propter quod magno ſolatio pariter & auxilio ſibi erat contra Imperatorem *Henricum*. Quibus compositis & concordatis, negat *Bernhardus* Dux dare filiam ſuam *Mestwino* regulo, dicens dedecus eſſe nobilem puellam dare catulo. Quod *Mestwinus* percipiens remandavit Duci Saxoniae, ſi catulus ſum, mordebo ut canis. Unde cum valida Slavorum manu venit in *Hammemburg*, & omnem populum tam clericos quam laicos trucidavit, exceptis LX. ſacerdotibus, quod ludibrio reſervavit: inter quos fuit *Oddar* præpoſitus majoris eccleſiae. Ille ergo cum ceteris ſacerdotibus tali martyrio conſumtus eſt, ut cute capitis in modum crucis incifa, fere cerebrum ſingulis aperiretur. Deinde ligatis poſt terga manibus, per ſingulas Slavorum civitates tracti ſunt, donec deficerent. Similiter *Aldenburgh* populofam civitatem percufferunt in ore gladii, & multos captivos per totam Slavorum terram in contemptum Chriſtianorum trahentes, diverſis pœnis affecerunt. Eodem modo in *Mycklenburg* monaſterio, moniales & virgines ibidem repertas deſlorantes, violaverunt. *Godeſcalcus* etiam, alius Slavorum Princeps à fide apoſtatatus, Chriſtianis multa mala intulit, & ſacra loca execrando (modo) dehoneſtavit, de quibus tamen poſt penituit. Hi Slavi per Regem Danorum & *Bernhardum* Ducem tandem ad fidem Chriſtianam & ad cenſum dandum ſunt reducti, non tamen ſine multa ſanguinis effuſione eorundem.

Decimo octavo anno *Henrici*, qui eſt Domini MXX. *Libentius* Archiepiſcopus *Hammemburgienſis*, ſecundum *Helmoldum*, ipſam eccleſiam *Hammemburgienſem*, penitus deſolatam & deſtructam per Danos & Slavos, renovare coepit, XII. canonicos novos ibidem inſtituendo, eo quod antiqui interfecti fuerant anno præcedenti. Hæc, inquam, devaſtatio & deſolatio eccleſiae prædictæ, ſecundum eundem *Helmoldum*, facta dicitur ſub *Urwano* prædeceſſore *Libentii* ante dicti.

Anno 1021. *Cynico* Rex Anglorum Romam proſectus peregrinationis gratia, ſecundum *Helmoldum*, navigio in Angliam rediit, & mox *Marcolium* Scotorum Regem rebellantem ſibi ſubjugavit. Erat etiam tunc in Anglia vir ſapientiſſimus *Egelmodus*, Archiepiſcopus *Canthuarienſis*, ex Decano in Præſulem aſſumtus. Hic Romam tranſiens, in via apud *Papiam* brachium *S. Auguſtini* doctorum magiſtri centum talentis argenti pari, & uno talento auri comparatum, ad *Canthuariam* tranſmiſit.

Viceſimo primo anno *Henrici*, qui eſt Domini MXXIII. *Volkquardus* Aldenburgenſis Epicoſopus defunctus eſt, ſecundum *Helmoldum* in *Chronicis Slavorum*, vir magnæ perfectionis: cui ſucceſſit *Benno* vir prudens & magnæ induſtriæ. Hic reordinavit reditus eccleſiae ſuae & impenſas à Duce *Bernardo*, quas *Otto I.* eidem eccleſiae deputaverat, dandas a Slavis pro ſubſidio ſuſtentationis fratrum annuatim. Illis enim temporibus, qui nunc Canonici dicuntur, pro tunc fratres in omnibus eccleſiis cathedralibus Saxonum & Slavorum nuncupabantur, de quo nomine moderni præſbyteri naſeam habent & verecundiam.

Anno 1026. *Libentius II.* *Hammemburgienſis* Epicoſopus obiit, ſecundum *Helmoldum*, vir valde religioſus, in cujus ſedem electus eſt *Hermannus* & confirmatus, Præpoſitus eccleſiae *Halberſtadenſis*. Mortuus eſt autem in epicoſatu *Halberſtadenſi*, dum eſſet in prædio ſuo *Hiltenroth*, corpusque ejus *Bremam* devectum eſt, & ſepultum in medio chori. Hic ab incolis terræ paludem *Eribeneburg* comparavit, quem *Conradus* Imperator præcepto ſuo eidem eccleſiae conſignans, ſigillo ſuo confirmavit & roboravit.

Decimo anno *Conradi*, qui eſt Domini MXXXIV. *Hermannus* Archiepiſcopus *Hammemburgienſis* defunctus eſt ſecundum *Helmoldum*. Loco ejus electus eſt *Bofelinus*, duodecimus hujus eccleſiae Antiſtes. Hic ſedit duodecim annis, vir omni virtutum genere decoratus, cui *Conradus* Imperator obtulit baculum, & *Benedictus* Papa pallium tranſmiſit. Hic conventum fratrum eccleſiae *Hammemburgienſis* miſerabiliter collapſum renovavit, & menſam communem eiſdem inſtituit. Primus etiam, cum præbenda fratrum *Canonicorum* tenuiſſe videretur 30. convivium, quæ *Libentius* Archiepiſcopus annuatim dari ſtatuit, adjectis ex ſua parte decimis quibusdam ita ordinavit, ut albus panis daretur fratribus ultra ſolitam annonam quotidie: in diebus vero dominicis unicuique duplex mellica copia. Nam & vinum dari fratribus contra naturam Saxonum diſpoſuit. Ipſe etiam conſummavit muros civitatis *Bremenſis*, quos *Hermannus* prædeceſſor ſuus exorſus fuerat. Quos dum *Bremis* perfeciſſet, mox ad eccleſiae *Hammemburgienſis* reſtaurationem totis viribus accendebatur. Ibi enim poſt cladem Saxoniam *Urwanus* Archiepiſcopus & cum eo *Bernhardus* Dux Saxoniae clauſtrum nobile de ruinis antiquæ civitatis elevantes, eccleſiam & diverſoria plura lignea con-

struxerunt. *Beselinus* vero Archiepiscopus, de quo nunc est sermo, adversus hostium crebros incursum aliquod fortius praedidium pro inopia loci necessarium arbitratus, primus omnium ecclesiam, quae constructa erat in Matris Dei honore, lapidibus quadris aedificavit; deinde aliam fecit sibi domum lapideam, turribus & propugnaculis valde munitam; cujus aemulatione operis *Bernhardus* Dux provocatus, cujus erat civitas, & ipse domum fortem paravit in eodem loco, & sic prorsus civitate renovata, Basilica ex parte una domum habuit Episcopi ex alia praetorium Ducis.

Undecimo anno Conradi, qui est Domini MXXXV. *Werben* oppidum, in confinibus Saxoniae situm, secundum *Helmoldum*, pagani, qui *Wiltzi* dicuntur, genere Slavi expugnaverunt, multis Christianis in eo peremptis: quos tamen Imperator cum exercitu forti aggressus fugavit, & tandem sibi vectigales effecit.

Anno 1043. Monasterium *S. Mauritii* insula Myndensi constructum, secundum *Helmoldum*, a *Brunone* Episcopo dedicatum est in honorem ejusdem sancti martyris & sociorum ejus. *Godefridus* Princeps Slavorum, secundum *Helmoldum*, defuncto *Canuto* Rege Danorum, ad terram patrum suorum revertitur, & inveniens ipsam a tyrannis quibusdam invasam, dimicare statuit, & comitante victoria principatum ex integro recuperavit; statimque ad quaerendum sibi apud Deum honorem & gloriam animum vertens, Slavorum populos, qui olim Christianitatis titulo insigniti fuerant, sed jam dudum a fide recesserant ad recipiendam baptismi gratiam exhortari cepit. Et prosperatum est opus Dei in manibus ejus adeo, ut infinita gentium multitudo conflueret ad ecclesiae gremium, & ad sacri fontis balneum salutare; & reaedificatae sunt per universam *Wagironum* provinciam nec non & *Polaborum* *Oboiritorumque* ecclesiae quondam destructae, & sacerdotibus ac ministris Dei repletae; qui verbo Dei imbuerent novellae plantationis populum ceperunt & instruere. Sed & *Kicini* & *Circipani*, & quaecumque gentes circa *Panum* vel *Penam* fluvium habitantes, fidei receperunt gratiam. Est autem *Pena* fluvius alio nomine *Panym* dictus, in cujus ostio sita est urbs *Demin* nomine seu nuncupatione.

Anno 1045. *Beselinus* Archiepiscopus *Hammeburgensis* obiit, plennis diebus multis, secundum *Helmoldum*, in cujus sedem successit *Adelbertus* XIII. Antistes ejusdem ecclesiae, & sedit annis XXXVII. Hic plurima gessit memoria digna temporibus suis. Primo namque intronizationis suae anno, ecclesiae *Bremensis* pulcherrimam perficere affectans turrem, claustrum, dormitorium, & ceteras officinas dissipavit, & ex lapidibus earum Basilicam ad *instar Beneventanae ecclesiae* perficere satagebat. Post se Imperatori applicuit, cujus tantam gratiam promeruit, ut unus de consiliariis ejus haberetur.

Anno 1048. Defuncto *Abelino* Episcopo *Aldenburgensi*, secundum *Helmoldum*, *Adelbertus* Archiepiscopus *Hammeburgensis* surrogavit ei *Ezonem*, virum venerabilem & devotum: *Ratzeburgensi* vero ecclesiae praefecit quendam *Aristorium* nomine, de *Hierosolymis* venientem; & *Mykelinburgensi* ecclesiae dederat *Iohannem Scotum* ibidem martyrizatum.

Anno 1099. *Olavo* Rege Danorum subitanea morte defuncto, secundum *Helmoldum* in *Chronica Slavorum*, fratre *Haroldi*, quem interfici procuraverat, ut pro eo regnaret: *Ericus Egbote* frater suus successit. Hic *Ericus* sic cognominatus est primo, quia mox, ut regnum accepit, tanta fertilitas terrae reddita est, quae regnum Danorum tempore *Olavi* sui praedecessoris ex toto deseruerat, ut modius parvus cujuslibet bladi nisi duos valeret denarios usuales, qui per antea ultra quatuor solidos valuisset. Secundo dictus est *Egbote*, quia ita magnus homo fuit, ut supra omnem populum ab humeris sursum videri posset, habens in se fortitudinem quatuor virorum fortium. Tertio, quia ita bonus fuit regno, ut eum ad terram sanctam proficisci pararet, *Dani* tertiam partem omnium bonorum suorum voluerunt dare terrae sanctae pro redemptione sanctae crucis, ut ipse in regno maneret. Sed propter hoc manere noluit, imo ex tunc iter arripuit cum magna militia, exercitui Domini se jungens. In reversione vero de expeditione sancta in *Cypro* defunctus est cum multa lamentatione suorum. Cui successit *Nicolaus* filius suus, qui cum Magno filio suo regnavit pluribus annis.

Anno 1104. Civitas *Lubecensis* terrae *Wagironum* construitur & fundatur per *Trutonem* Principem Slavorum, secundum *Chronicam Lubecensem*, prope villam, quae *Swartowe*, nuncupatur. Sed in hoc loco non diu perseveravit; quae, secundum *Helmoldum* in *Chronica Slavorum*, destructa fuit a Slavibus non diu post ipsius instaurationem, & secundum eum fundata fuit ibidem a praedicto *Trutone* eo anno, quo contra *Burbue* filium *Godefridus* triumphaverat, qui fuit annus Domini MLXXIII. Hoc autem praesenti anno fundata fertur in loco, ubi in praesentiarum sita est per eundem *Trutonem* Principem Slavorum, & mercatoribus repleta. Castrum vero eidem urbi junxit solemne, in quo ipse cum suis se locavit, & ab eo inimicis suis restitit.

Anno 1124. *Julin* civitas magna terrae *Pomeranorum* a *Iulio Caesare* aedificata, conversa est ad fidem, secundum *Helmoldum*. Hujus cives, cum eis sanctus *Otto* Episcopus *Babenbergensis* verbum Dei proponeret, ipsum armata manu invadentes, gladiis, fustibus & lapidibus percutientes, extra suam urbem fugaverunt. Sed audientes, *Stein* urbem famosam fidem

fidem Christi recepisse, nutu divino compuncti, præconi viæ veritatis *Ottoni* antistiti, quem alias eis prædicare volentem repulerant, legatos solemnes ad revocandum ad se miserunt. Quibus ille visis, pietatis Zelo motus dixit: Quid venistis ad me, hominem, quem odistis & expulistis a vobis? at illi, veniam petentes, ajunt: Sancte Pater, antiquam patrum nostrorum & majorum legem sine consensu Principum & Primatum, quos in Stetinenfi nostra metropoli veneramus, infringere non præsumimus. Sed postquam Deus tuus per te sibi subegit Principes nostros, nos absque omni contradictione monitis tuis parere, & salutis doctrinam excipere parati sumus. Quo audito Præsul Domini, positus genibus, gratias egit clementiæ Salvatoris, profectusque cum eis, debita à *Iulienfis* reverentia susceptus est; quibus viam veritatis cum omni diligentia aperire studuit, & eos sacro baptisate renovavit. Computatus est autem baptizatorum numerus fuisse XXII. & CLVI. *Demy* civitas cum castro suo fortissimo fidem Christi ab eodem *Otton* Episcopo suscepit pro eodem tempore, & dicta est urbs *Demy* veteri interpretatione, quasi domina mundi ob fortitudinem & solemnitate castri adjacentis, a *Iulio Cæsare* fundati, secundum *Chronicam Slavorum*. Cujus insignis fortitudinis excellentiam ruinæ patentes ostendere videntur. Ex tunc namque non cessavit Antistes ille invictissimus ab incepto opere, donec integram Pomeranorum provinciam cum omnibus suis primoribus & nobilibus Christo Domino lucratus fuisset.

Anno 1135. *Vicelinus* Presbyter oriundus prope urbem *Mynden* in villa *Querenbamele*, secundum *Helmoldum* in *Chronica Slavorum*, sita super ripam *Wyseræ* fluvii, veniens in urbem *Lubicanam* terræ *Wagironum* ad *Henricum* regulum Slavorum, rogavit ipsum, ut sibi daret facultatem prædicandi verbum Dei infra terminos sui principatus. Iis enim diebus non erat ecclesia neque sacerdos in universa gente *Luticiorum*, *Obotritorum* & *Wagironum*, nisi tamen in urbe *Lubeke*, eo quod illic esset *Henrici* prædicti regali familiare contubernium & mansio principalis; quia ipse eam, jam per *Trutonem* fundatam, valde ampliaverat & emendaverat, & similiter castrum ejus. Ecclesiam autem *Henricus* in hac urbe ædificaverat, sitam in monte super *Trabenam* aquam, quæ modo *Sancti Iohannis in Harena* nominatur; quam postea *Kanutus* *Obotritorum* Regulus dedicari fecit in honorem *Sancti Iohannis Baptiste*. Prædictus ergo *Vicelinus* sacerdos per *Norbertum* Archiepiscopum *Magdeburgensem* ordinatus & ab *Henrico* Regulo Slavorum, ad seminandum verbum Dei in populo Slavorum, una cum aliis duobus sacerdotibus, *Rudolfo* scilicet *Hildeshemensi* & *Ludolfo* *Verdeni* canonicis: opus Dei aggressus est, & magnum fructum in populo inculto & rudi, divino adjutus auxilio, operatus est.

Anno 1136. *Slavi Selandiam* Danicam intraverunt cum magno populo, secundum *Helmoldum*, & terram illam ex integro deprædantes, *Roskilde* oppidum funditus destruxerunt.

Anno 1137. *Nicolaus* Rex Danorum, secundum *Helmoldum*, detruncavit omnes Teutonicos in terra sua inventos. Unde commotus *Lotharius* Imperator contra ipsum, regnum Danorum cum manu valida intravit. Cumque videret *Nicolaus* Rex, quod se defendere non valeret contra Imperatorem, gratiam ipsius quæsit. Imperator autem ex tunc statuit curiam celebrari in *Halberstad* tempore paschali. Ubi *Nicolaus* Danorum Rex veniens cum fratre suo *Eriko*, Imperatori homagium fecit, jurans sibi cum suis Principibus, quod ipse & omnes sui successores regnum *Daciæ* ab Imperatore suscepturi essent. Hanc quidem dignitatem acquisivit *Lotharius* Imperio Romano.

Undecimo anno *Lotharii*, qui est Domini MXXXVIII. *Rani* sive *Rugiani* venientes cum exercitu multo inopinatè navigio coram *Lubeke*, secundum *Helmoldum*, urbem vacuum viris invenerunt; quam mox obsidentes navibus, castrum cum urbe ex toto demoliti sunt, Sacerdotes verò, Barbaris in unam ecclesiæ ramiam irruentibus, per aliam elapsi, beneficio vicini nemoris salvati sunt, & ad *Falderensium* pagum refugium habuerunt. Nec longe post, interfectis *Sventepol* Principe & *Swynike* filio ejus, translatus est principatus ad *Kanutum* filium *Boni Erici* Regis Danorum exulantem, per concessionem *Adelberti* Marchionis. Hic *Kanutus* tandem veniens *Lubeke* urbem desolatam & pro majori parte destructam, dedicari fecit ecclesiam, quam *Henricus* Princeps Slavorum quondam construxerat.

Anno 1139. *Kanutus* Rex *Obotritorum*, invitatus in dolo ad colloquium familiare à *Magno* filio *Nicolai* Regis Danorum, interficitur ibidem ab eodem *Magno*, secundum *Helmoldum*. Quod audiens *Lotharius* Imperator, & dolens de nefanda interfectione viri tam nobilis, intravit *Daciam* cum magno exercitu contra dictum *Magnum*: sed pro pudor! corruptus pecunia, egressus est, nihil ad rem faciens. Locus autem, ubi *Kanutus* interfectus est, *Ringsteb* dictus est. *Erius* vero frater *Kanuti*, cognomento *Hafenvoer*, id est, pes leporis, eo quod semper fugeret, in ultionem sui fratris congregavit exercitum, & veniens in occursum *Magni*, fugatus est in oppidum *Sleswik*. Quam urbem *Nicolaus* Rex Danorum & *Magnus* filius suus obsidione circumdantes, cum magna Danorum multitudine civitati violentiam intulerunt. Venit autem in auxilium civitati *Adolfus Comes Holsatiæ*: sed & ille ab exercitu Danorum fugatus est cum perditione non modica suorum. Tandem obsidio soluta est propter sigorem hiemis, & reversi sunt *Dani* in terram suam. *Kanuto* autem successit in principatu

Pribizlaus & Nyclotus filii sui, qui mox regnum patritum diviserunt. Nyclotus enim obtinuit terram *Obotritorum*, quæ modo *Mykelingburg* nuncupatur & terram Slavorum. *Pribizlaus* vero accepit in sortem suam terram *Wagiorum*. *Wagira* namque terra intra se continet urbes & oppida, puta *Lubeke*, *Todislo*, *Sigeberg* & pagum *Suentinensem* usque ad *Egidoram* fluvium. Idem & *Pribizlaus* possidebat magnam partem terræ *Nordalbingorum*, puta *Luttickenburg*, *Altenburg*, *Plune*, *Oylin*, *Kylensem* urbem & omnem regionem, quæ clauditur mari *Baltico* & *Trabena*: & sub istis Principibus iterum rapinæ, furta & latrocinia, quæ olim avus eorum *Henricus* *Regulus* eliminaverat, exerceri ab incolis cœperunt, ac fidei novella plantatio incrementum suum perdens, ex toto aruit & defecit. *Erikus* vero frater *Kanuti* interfecti, in maritimam *Scania* regionem se transtulit, conquærens ubique fratris sui necem perniciosam; quem soli *Scanienses* contra *Nicolaum* Regem in suum elegerunt. Quod audiens *Magnus*, venit contra ipsum cum classe magna navium. Cum ergo *Magnus* in sacro die *Pentecostes* aciem urgeret, nec solemnitati parcere vellet, licet ab Episcopis moneretur, cecidit *Magnus* cum omnibus Danis illo die juxta *Forsvik*, & cum eo sex Episcopi, omnes victi a solis *Scaniensibus*; quorum Episcoporum quatuor erant de *Jutia*, unus de *Selandia* & unus de *Suecia*, & multi nobiles de *Dacia* cum eis. *Nicolaus* vero Rex Danorum elapsus navigio, venit *Slesvik*, ubi mox interfecerunt ipsam sutores oppidi in favorem *Erici* victoris. Magnificatum est ergo nomen *Erici* & regnavit in Danorum & *Suecorum* regnia gloriose, & genuit filium nomine *Sweyn*. Orta est autem controversia magna inter *Henricum* Ducem *Bavariæ*, generum *Lotharii* Imperatoris & *Adelbertum* Marchionem *Orientalium Saxonum*, qui nunc *Martiales* nominantur, secundum *Chronicam Saxonum*. Contentio autem illa de ducatu *Saxonie* ortum habuit, & multum invalescere cœpit, eo quod *Conradus* Dux *Svevia*, factus Rex Romanorum, partes Marchionis foveret. Unde & ipse, castrum *Luneburg* cum civitatibus *Bardewic* & *Brema* occupans, occidentali *Saxonia* positus est. Sed & *Nordalbingorum* fines partibus ejus applicati sunt. Quamobrem Comes *Adolfus Secundus* provincia pulsus est, eo, quod fidem *Rixa* Imperatrici & genero ejus temerare nolisset. Comiciam autem ejus, urbes & servitia *Henricus de Badewide* de genere *Comitum de Orlemunde*, beneficio *Adelberti* Marchionis, pro tunc Ducis *Saxonie*, affecutus est. Inter hæc *Pribizlaus* sumta tyrannide, de castro & urbe *Lubek* omnia funditus demolitus est. Non multo post venit quidam *Rasche* dictus, de genere *Trutonis*, quondam Principis Slavorum & fundatoris urbis *Lubike*, cum classica manu, arbitratus se hostem suum *Pribizlaum* in *Lubeke* reperturum. Dux enim cognationes, *Trutonis* scilicet & *Henrici* propter principatum Slavorum contendebant. Sed non inveniētes *Pribizlaum* *Rasche* cum suis; relicta in *Lubeke*, urbe & castro, & omnia circumjacentia, solo æquaverunt, & locus urbis & castri planus relictus est.

Anno 1182. Antequam civitatem (*Lubecam* *Friderico*) aperuissent cives, exierunt ad eum rogantes, ut libertatem urbis, quam a Duce prius acceperant, obtinerent, & justitias, quas in privilegiis scriptas haberent, ac terminos, quos in pascuis, silvis & fluviis huc usque possederant, ipsius auctoritate & munificentia possidere valerent. Imperator vero annuit petitioni eorum, & non solum ista confirmavit, sed & plura superaddidit; & quicquid a Duce de telonio ad stipendia *Canonicorum* in *Lubeke* & *Ratzeburg* deputatum fuerat, ratum judicavit; concessitque eisdem civibus gratiose, ut amplius caput essent omnium civitatum *maritimarum*, & quod consulatus eorum aurum deferre possent, & eo uti ut milites. Et insuper omnes in presentiarum de consulatu existentes, & in perpetuum futuros, assumpsit de speciali gratia in consiliatores imperii.

Anno 1182. Quidam metrista super (exilio *Henrici Leonis*) hos versus fecit:

Quicquid inest mundo, mutatur prætereundo,
 Quæ steterant fundo stabili, trepidant ut arundo.
 Gloria, majestas, virtus mundana potestas,
 Res sabeunt mæstas, quas & consumit egestas.
 Vana salus hominis, claudit miser omnia finis.
 Vis perit à Dominis, vana salus hominis.
 Pompa perit facilis, profapia cessat herilis,
 Mors premit haud similis, pompa perit facilis.
 Cuncta cacumina, cœli lumina sunt ruitura:
 Sola per omnia stabunt tempora secla futura.
 Hinc sit gloria, laus victoria cuncti potenti
 Qui novit omnia & regit omnia lege potenti. Amen.

Tricesimo secundo anno *Friderici*, qui est Domini *MCLXXXVI*. monasterium in *Reynevelde* fundatur ab *Adolfo* Comite *Holtzatorum*, secundum continuatorem *Chronica Slavorum*, & locantur in eo fratres ordinis *Cisterciensis*, & perficitur in quinto anno post inceptionem.

Anno 1189. Ad vindictam *Zeli* domus Dei & ad ultionem innoxii sanguinis effusi, gloriosi Principes terrarum & nobiles universi unanimiter ad expeditionem *Hierosolymitanam*

nam aspirabant, secundum continuatorem Chronica Slavorum; & signato signo crucis sanctæ in remissionem suorum peccaminum, ad iter se disponebant. Inter quos præcipuus & signifer erat Dominus *Fridericus* Imperator, qui expeditionem prædictam prudenter ordinans, præcepit imperii sui peregrinis, tam equestribus quam iis, qui navigio ituri erant, ut adveniente *Majo* omnes parati essent. Cum eo autem iter sanctum arripere conati sunt Reges hi: *Philippus* Rex Francorum, *Henricus* Rex Anglorum & *Wilhelmus* Rex Arragoniæ; ac Principes seu Archiepiscopi, *Robertus* Rothomagensis, *Richardus* Canthuariensis, *Henricus* Trevirensis, *Bernhardus* Remensis & *Bertoldus* Salizburgensis; Episcopi vero: *Philippus* Beluacensis, *Conradus* Carnocensis, *Hermannus* Metensis, *Henricus* Constantiensis & *Bertoldus* Wormacensis: Duces vero *Burgundia*, *Suevia*, *Lotharingia* & *Austria*; Comites quoque *Flandria*, *Hollandia*, *Gelvia*, *Sancti Pauli* & *Campania*, cum multis nobilibus, baronibus & militibus provinciarum diversarum.

Anno 1211. *Woldemarus* Rex Danorum, secundum continuatorem Chronica Slavorum, terram *Pruthenorum* suæ subjugavit ditioni, & fecit eam sibi tributariam virtute gladii. Quo expedito, exercitum suum direxit in *Stetinensem* Ducatum, in quo sibi subjugavit civitates & oppida multa. Pro tunc etiam reedificavit castrum *Demyn* & oppidum ejus.



XLVII.

EMENDATIONES ET SUPPLEMENTA OTIORVM

IMPERIALIVM GERVASII TILBERIENSIS,

TOMO PRIMO EDITORVM

ex MSSis.



Ontulit R. P. Le Long cum edito Codicem Bigotianum B. MSCrum, quem integrum legit, quique cæteris est antiquior, ante quadringentos annos exaratus (2) Codicem Regium R., qui est quadringentorum annorum, elegantibus literis scriptus, sed parum accuratus (3) Codicem Colbertinum C. post quadringentos annos scriptum, qui propius ad editum accedit. (4) Alium Codicem Colbertinum, litera D. designatum, qui in papyro exaratus est anno 1406, die quarta Novembris, ut notavit in calce Ruauldus Sylvester Clericus Constantiensis diocesis, qui manu sua illum scripsit.

Pag. 881. l. 7. In nomine Domini &c. -- In nomine Domini incipit liber à Magistro Gervasio Tilliberiensi, & intitulatus: *Otia Imperialia*. Hæc scripta in scheda, affixa initio Codicis Bigotiani, forte manu ipsius Emerici Bigotii. Incipit liber de mirabilibus mundi, qui alias solatium Imperatoris nominatur. Domino suo Dei gratia Ottoni quarto Romanorum Imperatori semper Augusto Gervasius Tilliberiensis &c. Cod. Colb. In nomine Domini. Incipit liber à Magistro Gervasio Salliberiensi editus, qui intitulatur: *Otia Imperialia*. Serenissimo Domino Dei gratia Ottoni quarto Romanorum Imperatori semper Augusto Gervasius Salliberiensis &c. Cod. alter Colb. D. lin. 15. Big. omittit peccata & lin. 18. ista -- illa. B. 19. informat spiritu -- informat: Spiritus divini. B. C. 22. doctrina est pascualis ovibus -- doctrina pascualis est ovium. B. 32. Totiusque -- Fortiusq. B. C. 37. ungerentur -- unguentur. B. 38, 39. unctio sacerdotatis -- usque humerum -- unctio sacerdotatis sicut unguentum in capite descendit, in Regibus super humerum. B. C. 40. dura is fuerit -- dura fuerit. ibid. vigilantium -- vigiliarum. 41. sunt cordis pigri: ast nunc -- fuerit cordis pigri; nunc. ibid. dominari -- dominare. 42. sacratissime -- sanctissime. 49. æquitatem juris naturalis -- æquitatem juris & communionem juris (legis C.) naturalis.

Pag. 882. lin. 18. torpentem, excitare sævitia vires suas volentem -- torpentem excitare sævitiam, vires suas nosse, &c. B. C. 21. impeditionis -- impeditioris. B. 29. procederet -- penderet. 30. eis -- ei iterum. 31. ponet & tollet leg. tollet & ponet B. C. 34. fossarias leg. forarias. ibid. oliva -- oliveta. 38. Orientalis -- orientium B. ibid. caput Imperii licet -- caput ipsius. Licetque B. C. 39. in tempore leg. Imperator. 40. Cæsaris -- cesso. 43. Gregorii Papæ -- Gregorii Junioris Papæ. 44. terrenis -- terris B. ibid. autor est honoris -- autor honoris, quem dat. 45. Imperator -- Et Imperator. 47. desursum -- desursum esse. 53. ex leg. est. 57. minor -- junior.

Pag. 883. lin. 2. agendi -- augende B. C. 5. Et in paucis (initio) fuit -- At in paucis fuit B. 10. à modo & -- à modo etiam &c. 11. justitiæ verò finis infinitus leg. justitia non finis (nisi) infinitas B. C. 12. Quasi -- Etiamsi B. operetur recuperatio leg. recreetur occupatio B. C. 38. capitula -- tituli capitulorum B.

Pag. 884. lin. 1. De Enos & Methusalem -- in codice B. legitur de pigantibus alia manu scri-